



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

XIV. Standum, ut medico, & patri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

XIII.
Petendum,
quod Deus
vult.

D. Augustinus jam senex & occupatissimus, cum rogatus esset à Quod-vult-Deo Diacono Carthaginensi, ut librum de Hæresibus scriberet, sic eum in Præfatione sua alloquitur: *In ipsa molesta instantia tua, etiam tuum nomen attendi, & dixi: Aggrediar, & faciam, quod vult Deus.* Faciamus & nos, & patiamur quod vult Deus: quia Dominus est, cui rebellare refractarii est: quia sapientissimus ductor, quem sequi nolle extremæ dementiæ est: maximè, quia suavissimus pater, cui non acquiescere, alienum à natura est. Patrem cogitabat Chrysostomus, cum, quam habuit concionem proficiscens in exilium, ab his vocibus cæpit, *Benedictus Deus*: ab iisdem vocibus orsus, quam dixit rediens ab exilio. Ab eadem cogitatione Bernardus omnes fermè Sermones in Cantica hæc formulâ clausit, *Benedictus Dominus.*

XIV.
Standum
est medico,
& patri.

Quoties visi pueruli medicamenta horrere, quando ab ancilla propinabantur: Sorbere eadem generosè à manu patris, aut matris?

Facia-

Faciamus, cum B. Francisco Salesio Episcopo Gebennensi, ægrotantem expertissimi medici filiam unicam. Carissimus pater optionem dat medicinæ cujuslibet, & curationis: artem omnem suam, & industriam, propensione infirmitatæ ejus paratus accommodare, si voluerit. At ægra, quæ par est erga patrem & medicum observantiâ & fiduciâ: enimverò, inquit, eligere meum non est; sumere, quod dederis, meum est: neque enim nescio quis sis, quantum experientiâ valeas, quantum me ames. Ab ingenio isto, & manu, nihil nisi salutare expecto. Decerne itaque, ut voles, nihil enim aliud quidquam mihi velle statutum est. Eundem in modum de optima & misericordissima Dei manu, in adversis juxtâ ac prosperis, cuius homini cordato sentiendum ac loquendum.

XV.

Ejus cogitationis suavitatis.

Qui Dei sapientiam eventa omnia disponentem attendit, ac reveretur, discipuli instar est sapienti doctori contradicere non audentis, & Pythagoræo silentio magistri